

ABaga dominus in leuante dominabatur multis prouincijs & terris. & sue terre erant in confinibus terrarum regis caydu. & hoc erat uersus arborem solam que in libro regis Alesandri nominatur arbor sicca. Et abaga ad hoc ut rex caydu & sue gentes aliquod dapnum in suos homines non inferrent uel terras suum filium misit cum magna quantitate gentis equitum in contratam arboris sicce/ usque ad flumen gion. | & ibi permansit cum suo exercitu causa custodiendi suam terram ut gentes regis caydu ei nullum dampnum inferrent. per hunc autem modum. Argon cum suis gentibus in illa planicie sicce arboris permanebat. & custodiebat multas ciuitates & castra circa ipsum existencia. Accidit enim quod rex caydu magnam quantitatem gentium congregauit de quibus capitaneum statuit quemdam suum fratrem nomine barac. vir multum probus & sapiens erat. cui caydu dixit quod uolebat ipsum ire belatum cum argone/ cui barac dixit quod fatiet sua mandata & toto suo posse dapnum argoni & suis gentibus inferret. Et post hec uerba cum suis gentibus que erant magna quantitas arripuerunt iter & tantum equitauerunt/ quod peruenerunt ad flumen gyon. & erant prope argonem per decem miliaria. Et cum argon sciisset quod barac cum tanta gente uenerat/ se cum suis gentibus optime preparauit. & non elapsi fuerunt tres dies quod ambe partes preparate fuerunt uidelicet argon cum suis gentibus. & bararac cum suis. Et cum preparate fuerunt naccare sonare ceperunt. ergo nullam moram fecerunt. set una gens in aliam irruit. Tunc uideri possent sagite per aerem ut pluuia. et cum utraque pars proiecisset omnes sagitas. & multi homines & equi ibi fuerunt occisi. apposuerunt manus ad enses & clauas & unus in alium irruit | & inceperunt prelium pessimum & crudele. Incidebant sibi manus & brachya. & occidebant equos & malimode se tractabant. Jbi erat tam magnus tumultus & clamor quod mirabile erat & parua mora fuit quod tota terra coperta erat hominibus mortuis & uulneratis ad mortem. finaliter autem barac cum gente sua non potuerunt sufferre contra uires argonis. discessit ergo cum sua gente. & reuersus fuit ultra flumen. Et Argon cum sua gente ipsos aliquantulum persecuti fuerunt & de ipsis in magna quantitate interfecerunt. Taliter quidem fuit de hoc prelio qualiter audiistis. Et postquam de argone incepimus uobis narabimus totum esse ipsius qualiter captus fuit. & dominium habuit [post] mortem Abaga genitoris sui :/

Postquam autem argon bellum obtinuit contra barac & gentem regis caydu paruum tempus preterijt quod ipse habuit noua qualiter Abaga pater suus decesserat/ de quo doluit ultra modum. & se preparauit cum suo exercitu & iter arripuit causa remeandi ad curiam patris sui. & capiendi dominium. set tamen equitare debebat per quadraginta dietas ante quam illuc attingeret Accidit enim quod quidam frater Abaga nomine Acmat soldanus efectus erat sarracenus